

# RICHARDI SANCTI VICTORIS OPERUM PARS TERTIA.

## EPISTOLÆ ET MISCELLANEA.

### EPISTOLA PRIMA.

(*Epist. S. Thomæ Cantuar.* edit. GILES. t. II, p. 200.)

ERNISII ABBATIS ET R. PRIORIS S. VICTORIS PARIS.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM.

ROBERTO Herefordiensi episcopo, ERNISIIUS abbas, et R. prior Sancti Victoris Parisiensis.

Magnam de promotione vestra concepit Ecclesia nostra lætitiā, et spe non modica hilarati sunt auditores vestri, tum universi scholares animati ad amorem litterarum, et cultum virtutum, vestri laboris et successus exemplo. Nos autem idcirco gavisi sumus quia vos præ cæteris amabamus et Ecclesiam Anglorum, quam præter charitatem, quam habemus ad omnes Ecclesias, quadam speciali affectione, natura suadente, diligimus, vestra confidebamus eruditione proficere, et religione provocari ad divinæ legis cultum, et contra adversa roborari vestræ prædicationis officio, et virtutis exemplo. Nunc autem supra modum dolemus, quod neque desideria nostra de vobis impleta sunt, nec preces nostras pro vobis Dominus exaudivit. Et utinam essent aures vestræ ad ora scholarium et religiosorum suspiria audiretis, ut sic erigeretur spiritus vester, qui divitiarum pondere dicitur opprimi, et amore episcopandi, et deliciarum affluentia infirmari. Nam, ut aiunt illi, confirmaverunt vos divitiæ, quas in schola et frequenti verborum commercio consuevistis eaugenas appellare. Speciosum tunc depingebatis episcoporum verbo, quem ex voto nostro doctrina nunc exprimeretis et vita. Nunquid tuncungebamini vice cotis,

..... acutum  
*Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi?*  
(HORAT. *Ars. poet.* v, 304.)

Mirum est si non tinniunt aures vestræ a confabulatione scholarium, detractioe æmulorum, et amicorum querelis. Adversus patrem vestrum et consecratorem, eumdemque pro justitia, et libertate Ecclesie exulantes, nuper appellastis eum aliis, qui subversionem justitiæ quærunt et suam eversionem, et ponendo eum impiis portionem, unde vehementer dolemus, famam vestram plurimum denigrastis. Nunquid enim litteras appellatorias non vidistis, quas episcopi ad archiepiscopum suum transmisserunt? Certe si non vidistis, stultum fuit, ut pæce vestra veritatem loquatur charitas, non examina-

(\*) Ursicampus, insigne monasterium ordinis Cisterciensis, anno 1129 fundatum.

A tum de re tanta, et quæ ad Ecclesiam Romanam perferenda est, signare testimonium. Si autem vidistis eas, qua conscientia, qua fronte, ausi fuistis asserere, et ut scribitis, cum omni fiducia prædicare, quod falsum esse novit, non modo vicinia tota, sed fere Latinus orbis? Prædicatis enim, quem sic scribitis, et ut de vestra potissimum utatur auctoritate, signatis scripturam cum episcopo Londoniensi, quod rex vester, etsi interdum ut homo deliquerit, omnes excessus suos corrigere paratus est, et in omnibus obtemperare justitiæ, et si non credatur ei, etiam satisfactionem offert, et adjicitis: *Quoniam diligit corripientes se, et increpantes libenter auscultat.* Sed qui hoc verum esse putat, quid credet esse falsum? Noti sunt enim mores hominis, ut vos talia prædicantes oporteat quærere peregrinum, sed extra Latinum orbem. Vos autem qui justitiā ejus astruitis, quam innocentiam allegatis in ejectione mulierum, et parvulorum innocentium proscriptioe? Sed hæc, et his similia Dominus judicabit, et facientem, et consentientes pari pœna percellat. Cogitate interim quam sententiam tunc accepturi sint episcopi, qui modo tantis atrocitantur injuriis. Hæc sincera charitate, dulcissime Pater, scripsimus vobis, ut memineritis doctrinæ vestræ, officii vestri, desiderii nostri, et divini iudicii, ut redimatis famam vestram, et Ecclesiam, quæ in manibus vestris collabitur, studeatis erigere. Vestri sumus, sumus vestri, et Deo propitio, semper erimus prompti ad honorem et obsequium vestrum.

### EPISTOLA II.

PRIORIS S. VICTORIS PARIS. ET R. ABBATIS S. AUGUSTINI AD ALEXANDRUM PAPAM.

(*Ibid.*)

ALEXANDRO papæ, prior Sancti Victoris et R... abbas quondam S. Augustini.

Sanctis viris, etc. — *Vide in Alexandro III.*

### EPISTOLA III.

WILLELMI PRIORIS URSICAMPI (\*) AD RICHARDUM PRIOREM S. VICTORIS:

*Petit aliquod ex ejus opusculis describendum.*

(MARTENE, *Ampl. Collect.*, VI, 235.)

Dilecto suo domino RICHARDO, priori de S. Victore, frater. Willelmus, dictus prior Ursicampi, salutem in Domino.

Libellum vestrum quem remitti vobis mandastis

Cisterciensis, anno 1129 fundatum.

ego ipse reportavi in quadragesima; sed quoniam A  
tunc non eratis apud S. Victorem, fratri Hugoni  
hospitali vestro illum commendavi, insinuans ei  
ut vobis illum redderet. Rogamus autem ut aliquod  
opusculum vestrum nobis mittatis quod nondum ha-  
buimus, scilicet *de somnio Nabuchodonosor*, vel *il-  
lumina faciem tuam super servum tuum*. Nam et hoc  
scribere incœperamus, sed in exemplari vestro im-  
perfectum reperimus. Vale.

## EPISTOLA IV.

G. PRESBYTERI ANILCURTENSIS AD RICHARDUM PRIOREM  
S. VICTORIS.

*Petit ab eo Passionem sive lectiones novem de S.  
Victore, inserendas in Breviario.*

(MARTENE, *ibid.*)

G. Dei gratia Anilcurtensis Ecclesiæ presbyter,  
dilecto fratri suo R. venerabili priori Ecclesiæ S.  
Victoris Parisiensis, salutem.

Mandamus atque rogamus dilectionem vestram  
quatenus passionem B. Victoris, quæ apud nos non  
invenitur, vel novem lectiones de ipsa passione  
transcriptas per præsentium latorem nobis mittatis.  
Scribimus enim quemdam librum, quem Brevia-  
rium vocant, cui eas inserere dignum duximus.  
Vale.

## EPISTOLA V.

G. (5) AD RICHARDUM PRIOREM S. VICTORIS.

*Cupit rescire quid cum rege et abbate S. Germani ege-  
rit pro suo negotio.*

(MARTENE, *ibid.*, col. 237.)

Charissimo suo RICHARDO venerando priori S. Vic-  
toris, humilis frater G., salutem eandem quam sibi,

Si iter prosperum a nobis ad propria habuistis,  
si gratiam in conspectu regis invenistis, si recte  
ac prospere apud domnum abbatem, si abbatem S.  
Germani super negotio nostræ convenistis, per præ-  
sentium latorem nobis significare non gravetur di-  
lectio vestra. Salute nobis domnum abbatem, qui  
humilitatem nostram non solum ad obsequendum,  
sed ad obediendum in quibus sibi placuerit prom-  
ptam inveniet. Salute nobis domnum Rogerum ab-  
batem Augensem, charissimum nostrum.

## EPISTOLA VI.

(G. PRIORIS ECCLESIAE S. ALBANI AD R. DE S. VICTORE. D

DUCHESNE, *Scrip. franc.*, IV, 747. sequentes ex  
eodem fonte procedunt.)

Venerabili domino et amico magistro R. priori de  
Sancto Victore, suus G. prior Ecclesiæ Sancti Al-  
bani, salutem et sinceræ dilectionis integritatem

Habeo vobis gratias, quantæ sunt indicibiles,  
quod gratiæ vestræ fratri meo Math. tam copiosus  
fructus arrisit, metiorque ex illis impensis quanta  
vobis debeam latorem præsentium nepotem meum  
securitate commendare. Precor igitur ut beni-  
gnitas quæ in altero processit, se ad utrumque  
extendat et geminata charitas me vobis multi-

pliciter reddat obligatum; et ut cumulo as-  
urgam gaudio, aliquid mihi voluntatis vestræ di-  
lectio vestra remandet, quo mei experimentum ca-  
piatis amoris. Valete.

## EPISTOLA VII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili amico suo et merito honorabili Ric-  
priori de Sancto Victore, suus G. prior ecclesiæ  
S. Albani, salutem et affectum debitæ dilectio-  
nis.

Quia fratris mei M. qui in partibus vestris amore  
scientiæ peregrinatur, tam singulari gratia, tam  
peculiari liberalitatis prærogativa proventum cu-  
rastis, gratias habeo dilectioni vestræ: nec quid  
amoris et obsequii vobis animus meus promittat,  
multi facile valebunt apices explicare. Sed utinam  
eveniat, ut quo vos amplector affectu, operis exe-  
cutio viva voce loquatur! Quomodo enim benigni-  
tatem, quam sibi a vobis collatam memoratus  
Mathæus prædicat, ab eminentia vestra possem  
sperare, a qua prorsus nihil merui? Cerno siqui-  
dem plane quam amatorum illud Catonis tenaci  
memoriæ prudentia vestra commandaverit: Si  
*vis amari, ama*. Restat igitur ut, quod tam fertili  
principio inchoastis, talari supervestire velitis tu-  
nica. Mibi autem etsi recompensandi desit effec-  
tus, non deerit tamen affectus. Hocque modicum  
munus non pro munere, sed ad amoris indicium  
vobis transmitto, vicissim postulans ut scriptorum  
C vestrorum mihi rescripto occasione inventa no-  
mina innotescant. Ego autem curabo, ut si exempla-  
ria non desint, scientiæ vestræ thesauro Anglia no-  
stra resplendat.

## EPISTOLA VIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili fratri et amico R. priori de Sancto  
Victore, Fr. S. humilis minister Ecclesiæ Sancti  
Albani, salutem et debitum sinceræ dilectionis ob-  
sequium.

Opuscula magistri Hugonis, quæ in partibus no-  
stris undecunque quæsitâ reperire potuimus, summo  
studio et exactissima diligentia sicut tantæ venera-  
tionis scripta collegimus, et ex eis plurima in volu-  
mina nonnulla redegimus. Quoniam autem ex me-  
morati viri tractatibus aliquot apud vos contineri,  
quæ in partibus cismarinis aut omnino non sunt,  
aut adhuc in Anglia nostra farscunt, comperta  
relatione, didicimus, lateri præsentium eorum quæ  
penes nos habentur notulas compendiosas tradidi-  
mus. De vestra nimirum charitate confisi, quod in  
opera sibi commissa in oculis vestræ sinceritatis  
nostro debeat interventu gratiæ plenitudinem obti-  
nere. Sanctitatem igitur vestram obnixè rogamus  
ac petimus, quatenus memorato præsentium lateri  
tractatus magistri Hugonis inspicendi copiam, ob  
reverentiam beati Albani et nostræ precis intuitu  
benigne, si placet, indulgeatis; et ut eos quos

(5) Guillelmus, ut opinor, canonicus S. Genovefæ

apud nos non haberi compererit, commodius quomodocunque exscribi faciat, precamur ut ei in præsententi negotio vestri consilii simul et auxilii gratia respectus fraternæ charitatis aspiret. Valete.

### EPISTOLA IX.

M. AD RICHARDUM.

Domino R. Dei gratia priori Ecclesiæ Sancti Victoris, suus M., ad quam potius affectat hilariter ascendere salutem.

Inter ea quæ in domo vestra deposui, sunt duo linteamina et duo mantilia quorum usu nunc exstat mihi opus. Quare vestra id benignitas efficiat ut utraque a se invicem discernantur, et alterum linteaminum, quod calatura caret, cum altero quoque quod recentius est manutergiorum per hunc amicum nostrum fratrem Walterum mihi transmittatur. Reliqua vero simul posita in custodia vestra sicut prius habeantur, donec ego ad vos veniam. Venerabili amico vestro priori Sancti Evurtii, et huic præsentium latori Fratri Waltero gratias habeatis, qui pro veneratione vestra plura mihi parati sunt exhibere quam velim ab eis gratis accipere. Vale perpetuo in Christo Jesu Domino nostro. Ubiunque terrarum existam, vester sum, cupiens vestræ voluntati morem gerere, liberalitatisque deservire. Quod res ipsa, Deo annuente, explicabit, si quando tempus futurum nobis obsequendi vobis locum conciliaverit.

### EPISTOLA X.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino R. Dei gratia priori Sancti Victoris, suus M., ad quam veritatis via perducit salutem.

Successus sui aperit indicia quisquis horum innititur gratiæ, quorum promeruit amicitias. Quorum enim sibi quisque conciliavit affectus ex meritis,

eorundem jure, prout honestati tamen congruit, fungitur officiis. Ego itaque non hoc calle in amicitias vestras deductus, qua benignitas in vobis insita mihi præmonstravit accessus, ad gratiam vestram gratis intravi. Dum enim bonitatis vestræ statum recolo, mihi liquido innotescit liberalitatem vestram, prout decet ac expedit, cunctis patere. Quare, ut excellenti vestræ consuetudini morem suum geram, charitatis vestræ magnificentiam convenio, quatenus penes vos locum mihi quempiam placidi affectus pique desiderii patere concedatis. Super amicitia domini Walteri prioris Sancti Evurtii, multimodas grates vobis refero. Si quid vobis placuerit, per hunc nuntium meum amico vestro priori Sancti Albani mandare poteritis. Valete. Si qui amicorum vestrorum manent in locis, per quæ hic puer iter habebit, precor vestra eum ad eos transmittat, ne injurias ei fieri in via patiantur. Perpetuo valete.

### EPISTOLA XI.

G. PRIORIS S. ALBANI AD RICHARDUM.

Venerabili amico, et merito honorabili Ric. priori de Sancto Victore, G. prior ecclesiæ Sancti Albani, salutem et debitæ dilectionis affectum.

Quia petitiones meas jam pridem curæ vestræ delegatas diligenter prosequi studuistis, præsentem cæteris securus adnecto. Precibus igitur meis, ut mos vester permittit, inflectimini, et latorem præsentium fratrem meum M. suscipiat dilectio vestra meo intuitu commendatum, et in quo necesse habuerit ei vestrum astipuletur consilium, ut vobis habeam multipliciores gratiarum actiones. Munusculum, quod vobis ex parte mea porrigendum transmissi, dignanter vestra dilectio suscipiat, et potius mittentis affectum quam missi attendite parvitatem. Valete.

## DE ERUDITIONE HOMINIS INTERIORIS

### LIBRI TRES.

Occasione accepta ex somnio Nabuchodonosor apud Danielem.

### LIBER PRIMUS.

#### CAPUT PRIMUM.

*De mystico somnio regis Nabuchodonosor, et summa intentionis totius operis.*

Quid illud Nabuchodonosor somnium juxta litteram designet, potissima illa Danielis expositio docet. Sed displicere non debet, si tropologica discussio ex eadem materia eliciat quod ad veritatis scientiam, vel morum disciplinam lectorem ædificet. Ut ergo summam intentionis ejus paucis perstringam,

videtur propheta hoc loco ex mystica visione designare quomodo viros virtutum contingat paulatim defluere, et quibusdam detrimentorum gradibus in ima corruere, et per visitantem gratiam quandoque ad pristinam, vel potius potiorem animi statum resurgere. Hæc autem permutationis corruptela, vel reparationis medela accidere utique solet in utraque vita, tam activa videlicet quam contemplativa. Utriusque, ni fallor, in hac una visione typus ex-